8° 24

VOX

Sub *Altari* clamantis *Animæ*, *Martyrio* coronatæ, Jan. xxviii, MDCXCVI.

SAnguinea horrentis ſemper *Paricida* fuiſſe,
Innocuiſque Animas eripuiſſe ſuas,
OCCISI eſt Animæ *Vox* exaudita ſub *Ara*
Hæc ſine Sollicito verba timore ferens;
Effuſo *Angliadum* venis *O Sanguine Regnans*,
Qui Diadema *Patris* ſceptraque, *BELGA*, rapis!
Sanguinis en rivos *Campis Plateiſque* ſcatentes,
Rapta quibus *Claſſis bellica* nare queat!
Nunc *Viduæ* ſurda gemitus, nunc *Orphanus*, aure
Mittit humi repens, irrita verba ſonans.
Victa jacet *Pietas*, averſum eſt *Juſque* retrorſum,
Corruit in *Foro* Juſticiæque Decus.
Vota nefanda *Probis nequam* damnantibus *Aulæ*,
TU Paraſitorum cum *Grege* ſancta facis.
Parte Chori Procerum juſta renuente *ſupremi*,
Jura malo calcas *Tuque Tuique* pede.
Si *Conſulta Patrum*, ſi *Leges Iuraque Servans*
Vir bonus eſt, Quis *Tu*, qui violare Studes?
Quem petis effuſum bibito, *Sitibunde*, cruorem,
Sanguine Te ſaties, *Magne Tyranne*, meo!
Sic *Divi Herodes Joannis*, Sicque *Britanni*,
Nominis ejuſdem, ſanguine pelle ſitim!
Sanguine lota tamen *Crucifixi* & paſta triumpho,
Charior effuſo eſt *Ille* cruore meo.
Sed *Deus* alme, precor, vocem *Tu Sanguinis* audi,
Quem velut in Terra fudit *Iniquus* aquam!
Sanguis ab *ASHTONO*, cui *Proto-Martyris* Ævi
Deterioris Honos, *Vindicis* aure boat;
Sanguinis O Vindex, *O Tu Juſtiſſime! Iniquus*
Terrarum pœnas *Incola* quando luet?
Clamantem exaudi! citius, *Sanctiſſime Divum*,
Hoſtem in *Sanguineum* Suppliciumque jube!